





Hala





Heintze prof. Kennes de vaporum paralyfi. Hala
1773.

1
Halle


Med

1773

H.00

40. 89429

DISSE RTATIO ACADEMICA
DE
VASORVM PARALYSI.



QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

VIRO CLARISSIMO

D. IOAN. CHRISTLIEB KEMME

MEDICIN. PROF. PVBL. ORDIN. ET ACAD. IMPER.

NAT. CVR. SODALI

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE

SVMMA PIETATE AETERNVM DEVENERANDO


DIE . OCTOBR. MDCCLXXIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS CAROLVS HEINTZE

HALENSIS.



HALAE SALICAE

AERE HENDELIANO.

Universitäts-
bibliothek
halle

*Lin: XXVII / 2432
Kemme*

*Dr. Samuel Christianus Luer
Tubingae 1808.*



DIETHELM ACADÉMICA
VASSONUM PARALISI

THEO. CHRISTOPH. KNOX

...

744 264 62



V P R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

D O M I N O
D. IOANNI PETRO
EBERHARDO


MEDICINAE, PHILOSOPHIAE NATVRALIS ET MATHES.
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO
ACADEMIAR. IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM ADIVNCTO
ET
ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTIL. SODALI
SOCIETATIS TEVTONICAE JENENSIS
MEMERO HONORARIO,

PATRONO ac PRAECEPTORI
SVMMA REVERENTIA SVMMAQVE RELIGIONE
AD CINERES VSQVE COLENDO

HASCE
LABORVM PRIMITIAS
VT
DOCUMENTVM PVBLICVM
SANCTISSIMAE VENERATIONIS, MAXIMAE
OBSERVANTIAE
AC PIETATIS
TANTO VIRO
DEBITAE
INTER ARDENTISSIMA
PRO EIVS
PERENNI SALVTE, INCOLVMITATE
AC PROSPERITATE
VOTA
GRATISSIMA MENTE
DICAT AC CONSECRAT

FRIDERICVS CAROLVS HEINTZE.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
VASORVM PARALYSI.

 Saepe miratus sum, feracem illum de vasorum paralyfi locum, aut praetermitti ab his, qui praecepta pathologiae tradunt, aut minus ab iisdem copiose explicari. Quare libuit hanc materiam ad disputandum proponere.

Vas dico canalem, transitui liquoris animalis destinatum; *paralyfin* vero laxam fibrarum muscularium immobilitatem, cum torpore; *torporis* denique voce decrementum indicatur, quod passa est vis fibrarum muscularium insita ^{a)}.

Omnis autem, quae de paralyfi vasorum institui potest, quaestio, his fere continetur: num fieri queat, ut vasa id vitiorum genus contrahant? omniane in id incidere possint? queantne signa constitui, quae de eius nos praesentia in morbis certos reddant? ut ilene demum sit, in medicina ad eum morbum attendere? Igitur oportet nos ad haec respondere.

Vis insita fibrarum muscularium, quibusdam *irritabilitas*, aliis *vis vitalis* dicta, cum nervis, istas fibras aduentibus, tum definitae earum fibrarum cohaesioni debetur. At vero utraque, quam dixi, irritabilitatis causa, multis modis infringi, deleri potest. Quod igitur paralyfis quascun-

A 2

a) GAVRII *Instit. path. medic.* §. 189.

que queat partes, quae fibris muscularibus instructae sunt, afficere, satis, vt puto, constat.

Atqui fibrae musculares, quae ad vasa pertinent, latissime patent. Nam in quibusdam oculis vsurpari possunt; sique visum in aliis fugiunt: obseruatis tamen, quae dubio carent, in illis confirmantur. Fibra enim muscularis eam sibi singularem, qua a ceteris discrepat, naturam vindicat, vt ab admotis stimulis, his etiam, qui nec elasticitatem, nec vim cohaesionis excitant, velociter sese ac valide contrahat, vique etiam neruicam regatur. Quae igitur conditio, si, institutis aut experimentis aut obseruationibus, in vase detegatur: vi illud insita pollere fibrisque muscularibus gaudere, comprobatum erit.

Sequitur iam, vt, his praeuentibus, in musculares vasorum fibras inquiramus; igiturque generatim proposita ad vasa applicaturi, haec ipsa, quantum necesse est, percurramus.

Et *arteriarum sanguiferarum*, quae maiores sunt, musculosa structura, ne in dubitationem quidem venire potest, cum ipse in iisdem oculis carneas fibras percipiat *b)*. Neque in *minoribus* eas deficere, HALLERVS nos docet, dum in *minoribus*, inquit, *arteriis sensim malignius apparet* (musculosa tunica). Quin alio loco *c)* fatetur, *grandiores arterias omnes, ad eas usque, quae sexta lineae parte non latiores sint, vtiq; vnicum constituere continuum musculosum tubum, a corde ad vltimos huius diametri ramos extensum*. At vero *toti fere arteriarum systemati, quod sexta lineae parte minus est*, pulsus denegat HALLERVS *d)* & irritabilitatem *e)*, cuius siquidem existimat defectum ab immobilitate arteriarum indicari. Et *f)*, oscillante minimum arteriarum vi

reiecta,

b) L. B. de HALLER *Elem. Physiol. corp. hum.*, Tom. I. p. 64.

c) Tom. II. pag. 207.

d) l. m. c. pag. 211.

e) *ibid.* pag. 212.

f) l. c. Tom. I. pag. 442. seqq.

reiecta, hæec addit: *mihî quidem potius videtur, minima vascula, ca-
lidorum etiam animalium, vi contractili aut destitui, aut debilissima
pollere, vi nullo hæctenus experimento aut pulsus in iis ostensus est,
aut vis irritabilis: & ob eam ipsam rationem pulsus in vasculis mi-
nimis nullum percipi.* Sed, quod pace celeberrimi viri dictum sit, non
auderem quidem ego arterioliis capillaribus et his paulo maioribus vim in-
sitam detrudere. Nam cum notum sit, vi nervea eas modo partes regi,
quæ fibris muscularibus gaudent, atque (vt hoc exemplo vtar) inter om-
nes constet, ingruente lipothymia, sudorem prorumpere, cuius vera cau-
sa ad relaxationem vasorum redit, quæ perspirabile cutaneum eliminant,
quorumque vis retentrix, ob resolutos quodammodo nervos, fatiscit: se-
quitur, *exhalantia cutis vasa fibras musculares nacta esse, ac vi insita
pollere.* Atqui ista vasa arteriolarum capillarum propagines sunt. Igi-
tur, his ita constitutis, ex mente HALLERI, pars tubi arterioli (liceat
mihî hoc nomine vti, vt arterias natosque inde perspirationis fontes desig-
nem), quæ tam cordi propior est, quam ab eo remotissima, irritabilis
esset, interita autem vtriq; vi insita careret, quod speciem veri non
habet, maxime etiam ob id, quod vis muscularis, vtriq; tubi, quem
dixi, extremo insita, præeunte observatione non exigua sit. Nec diffi-
tendum hoc loco, videri mihî invalida ea esse argumenta, quibus HALLE-
RVS vim insitam minimarum arteriarum oppugnat. *Fissuram, inquit,
arteriolæ venæve minimæ capillarem non mutari, neque a vi contra-
ctili labiorum suorum dilatari, manifesto experimenta mea docent;
non poterat non, vel debilissima vis contractilis vasis fissi, eam rimam
conspicuo modo auxisse, eamque mutationem microscopio armatus
oculus percepisset - &c.* Sed ea retractio, quæ alias fissuram arteriæ
sequitur, maioris potius cohaesionis, quam irritabilitatis, effectus est.
Nec vero vis insita cohaesionis gradui respondet. Docent id polypî, quos

A 3

miri-

g) l. c. Tom. I. pag. 443. seqq.

mirifice vi irritabili eminere, ipse HALLERVS edixit *b)*; idemque confirmant iuniora animalia, quae feniora vi infita superant *d)*. Pulsu porro *minimae arteriae defituuntur, immobiles sunt, non contrahuntur; nec vi infita igitur gaudent *k)**. Sed pulsum in minimis arteriis defectum, languidiori circulationi deberi, ac sedi, quam ea vasa occupant, a corde remotiori, fatetur ipse HALLERVS l. m. c. *Id dederim, inquit, in vasis, quae sano homini non micant, per morbos pulsum nasci, si nempe per inflammationem citatior cordis impetus in ea vasa sanguinem egerit; idem enim tunc fit, quod fieret, si cordi propiora reddidisses.* Quod vero si verum, non decet nos ideo, quod minimae arteriae pulsu carent ac immobiles sunt, vim ipsis infitam denegare. Conf. etiam l. c. pag. 215. vbi vim contractilem quidem admittit, sed ad elaterem refert. — *Fibrae musculares ne visae quidem sunt in minimis arteriis, licet globulus ruber iisdem in periculis, facillime conspiceretur *l)**. At fibras musculares esse, quae vel globulo rubro minores sint, monuit concessitque HALLERVS *m)*. Et ipsa potuit fibrarum muscularium albedo, in minimis arteriis necessaria, earum praesentiam recondere. *Totus enim ille fibrarum muscularium ruber color vasculoso veti debetur, quod inter fibras est *n)**. Atqui rete illud vasculosum, quod fibris arteriolarum interiacet, e tenerimis vasis conflatum erit. Quae igitur non permittent, vt, sua se rubedine veluti indutae fibrae musculares conspectui offerant *o)*. — Denique HALLERVS *vis infita, inquit, arteriolarum nullo experimento con-*

b) l. c. Tom. IV. pag. 464.

d) IDEM l. m. c.

k) l. c. Tom. II. pag. 211. 212.

l) l. c. Tom. II. pag. 210. 211.

m) l. c. Tom. IV. pag. 418.

n) HALLER l. c. Tom. IV. pag. 419.

o) HALLER l. c. Tom. I. pag. 115.

confirmatur p). Verum ne maiorum quidem arteriarum vim insitam experimenta HALLERI confirmarunt q), de qua ipse tamen, cum eandem alia phaenomena suadeant r), nullus dubitat. Equidem phaenomena, quae certa sint, quaeque dubitantem de vi insita arteriolarum, satis conuincant, difficile admodum est afferre. Nam pleraque, licet forte vi insitae arteriolarum tribui debeant, cum vel dubia sint et controversa, vel variam explicandi rationem admittant (quod multis, quae ab intellectu proficiscuntur, commune vitium est), in suas facile partes ab ingenioso adversario trahuntur. Quam ob causam nescio, an ea sat valida sint, quae celeberr. WHYTT recenset s). Attamen frigus illud, quod februum accessiones comitatur, arteriolarum mihi minimarum irritabilitatem clarius nos edocere videtur. Quod enim sanguis tunc, propter spasmus vasorum, retineatur, impediaturque, quin in partes insinat, probatione non eget. At vero spasmus, qui, accedente febre, maiores occupat arterias, cum lumen earum maius sit, sanguinis influxum vix unquam impedire potest. Nec possit eam mutationem aeger sine syncope ferre; quam inde, ne in febris quidem intermittentibus, facile observamus. Neque puto, minorum arteriarum spasmus, ad explicanda frigoris febrilis phaenomena, sufficere. Quodsi enim vel hoc dederim (id vero summum est, quod concedi potest), adeo illas a spasmio febrili constringi, ut vni tantum globulo pervia fiant: attamen per capillares arterias definita tunc sanitatique adhuc respondens veheretur sanguinis copia; nec possent igitur venae evanescere frigorisque facile sensus oriri. Quare, oborto frigore febrili, minimae arteriolae spasmio laborant. Sed spasmus vim insitam prodit.

Quamvis vero vim insitam arteriis concesserim: eandem tamen *venis sanguiferis*, his tamen, quae prope cor sunt, exceptis, denegandam esse

p) l. c. Tom. II. pag. 210. 211.

q) l. c. pag. 71. *prim. lin. physiol.* §. XXXII.

r) *Elem. physiol.* Tom. I. pag. 71.

s) Von den Nerveninsällen, *Escit.* 47. not. 2.

esse existimo. Nec enim fibrae in iis musculares manifesto apparent, nec phaenomena earum permittunt, ut vis ipsis insita adscribatur.

Puncta lacrumalia parvulo quodam sphinctere instructa esse, auctoritat IANIN; ¹⁾ videturque *Clar. RICHTER* eam sententiam confirmare, dum addit: Wir haben wirklich beym Gebrauch der Anellischen Sonde zuweilen bemerkt, daß der Thränenpunct fast gänzlich verschwindet, wenn man die Sonde ansetzt, und daß es alsdenn oft schwer ist, sie einzubringen. Idemque *cl. IANIN* observatio edocere videtur, quam his verbis descripsit *clar. RICHTER*: Ein Frauenzimmer behielt nach einer Schwärung des Handes der Augenlieder ein Thränen der Augen. Der B. untersuchte das Auge, und fand, daß die Thränenpuncte immer weit offen standen, und sich, wenn sie mit einer Sonde berührt wurden, nicht verengerten. Arbitratur quoque IANIN, tubulos lacrumiales ipsorumque saccum lacrumalem fibris muscularibus vique insita regi ²⁾; at non convineunt, quibus vitur, argumenta.

Vasa lymphatica valvulosa vi insita pollere, HALLERVS docuit ³⁾. Nec lactea vasa ea carere, notum est. Eandem quoque *venis resorbentibus* inesse, maxime hydrops docet, qui dolores excipit humorumque acrimoniam, quique opiatis, vel cum sudore tunc largam diuresin provocantibus, lenitur; cuius rei memorabile exemplum refert WILKINS ⁴⁾. Imperium; quod in *vias, quas bilis transit*, nervi exerunt, vim insitam earum prodit. Idemque *de tubulis uriniferis* similibusque vasis dicendum. Sed haec, cum levia sint, attingisse tantum sufficiat.

Quam

¹⁾ Richters Chirurg. Biblioth. 2. B. 1. St. pag. 94

²⁾ l. m. c. pag. 95—98.

³⁾ l. c. Tom. I. pag. 165. 166.

⁴⁾ *Pharmac. ration.* Sect. VII. cap. 1. pag. 186. 187.

Quam late igitur paralyſis vaſorum patere queat, e diſtis intelligitur. Sequitur, vt effectus eius ac ſigna perpendamus. Quae ad haec redeunt.

Cum vaſis arterioſis fibrae muſculares inſint; potentia quoque gaudent ſe contrahendi. Magna quoque tubi arterioſi pars, quod diſtum eſt, vim ſuam in humores impendit, eorumque motum accelerat atque conſervat. At vero, dum accidit paralyſis, contractio muſculorum tollitur. Quiſque igitur, vel me tacente, perſpiciet, motum humorum, praefente arteriarum, quae caeteris paulo maiores ſunt, paralyſi, aut infringi aut etiam deleri. Sed motui humorum pulſus apprime reſpondet, aſſatim id praecipiente phyſiologia. Liquida hinc erit ratio, *quare pulſus de paralyſis praefentia teſtari poſſit.*

Vt vis nervorum, qua ſentiunt, conſervetur, influxus liquidi vitalis opus eſt, pro cuius dein ratione vel augetur iſta vis, vel decreſcit. Comprobat id auſta ab inflammatione partium ſenſilitas. Nam, in cauſam huius phaenomeni inquirens, nullam aliam ſubefſe, quam auſtam ſanguinis molem, deprehendes. Quodſi vero ſenſilitatem nimia ſanguinis copia adauget: inopia ſanguinis eandem minuet. Confirmat id frigus, quod repellendo humores ſenſilitatem partium frangit, dum calor contra ea, inducſta humorum rarefactione, eandem vim auget. Perſpicuum inde eſt, inſenſilitatem a ſanguinis inopia induci poſſe. Atqui paralyſis arteriarum impedire poteſt, quo minus definita ſanguinis quantitas in partes inſluat. *Poterit igitur inſenſilitatem inferre.*

Vt ſpaſmi violentiores, ſic paralyſes quoque minorum arteriarum *frigus* inducant neceſſe eſt. Nam id ſaltem puto a medicis exploratum haberi, calorem ſcilicet corporis a calore ſanguinis et vi ſentiente proficiſci. Atqui paralyſes iſtae vim ſentientem frangunt (per anteced.). Eaedemque ſanguinis calorem non vna ratione diminunt. Nam is, cum ſanguinis affri-

affrictum, illum praecipue, qui in minimis arteriis contingit, sequatur 2): huius gradui, nisi forte alia, a sanitate plus minus aberrans, causa subit, consentaneus erit. Affrictus autem sanguinis, cum lateribus vasorum, nisi et sanguis moveatur et parietes vasorum cohaereant, consistere nequit. Igitur paralysis vasorum, cum utriusque, quod diximus, momento partem subtrahat, sanguinem, quam sanitas postulat, frigidiorē efficiet. Putoque id spasmi vasorum confirmari, qui saepius, dum motum sanguinis accelerant, nec vero omnem sanguini viam praeccludunt, calorem inferunt augmentum, in cuius rei fidem spasmus febrilis adduci potest. Nam, si conditio vasorum, paralyti opposita, calorem auget: quidni paralysis arteriarum frigus produceret? Idemque lipothymiae ac apoplexiae exemplis illustrare possem. Sed de his postea.

Equidem, quam controversa sit causa, calorem animale efficiens, non ignoro; nullusque igitur dubito, permultos fore, quibus displiceant ea, quae de frigore dicta legerunt. At vero, cum tota haec causa adhuc sub indice sit, cuiusque, puto, sua asserta licet receptae a quam plurimis doctrinae accommodare. Sique, quod res est, dicendum, persaepe, non sine admiratione et quodam quasi stupore, optimos intellexi viros, quibus tamen rem quaecumque aliam difficillime persuadeas, inani in hac causa difficultatum nube adeo turbari, ut, in resutanda reicienda constituta quondam caloris animalis causa, perquam se faciles praebant. Nam numquam, ut libere demum, quae sentio, eloquar, vim eorum, quae notae doctrinae de HAEN opposuit, perferire potui. Neque arbitror, aut nervis a) aut palpitatione fibrarum muscularium b) opus esse, ut causa caloris animalis melius cognoscatur. Plura de his addere, instituti ratio non permittit.

Cum

2) III. EBERHARDI *Diss. de causa calor. in corp. anim.* Hal 1766.

a) WRISBERG *de respir. prima, nerv. phren. et cal. animal.* Goett. 1763.

b) ROGER *de perper. fibr. muscul. palpit.*

Cum motus humorum hunc etiam usum praestet, ut perditae solidorum partes eo restaurentur, id quod *nutritionis* nomine insigniri solet: necesse erit, ut earum partium, in quibus paralytis vasorum obtinet, *aridura* oboriri queat; siquidem nutritio earum, ob deficientem humorum impulsum, facile languescet.

Sed fieri quoque potest, ut *tumor partium*, post inductam vasorum paralytin, efficiatur. Concipere enim licet, vasa, quae iusto adhuc robore gaudent, in paralytica terminari. Tunc igitur haec propulsos humores recipient quidem, at vero eos, vi motrice destituta, retinebunt. Vnde eveniet stasis humorum ac tumor.

Excretiones porro *efferae* paralytin vasorum insequi possunt. Nam vasa, dum laxa sunt, humoribus haud satis resistunt, nimisque dilatata ostia nanciscuntur. Quas ob causas fieri aliter non potest, quin liquida copiosius effundant. Quocum asserto apprime congruit experientia, qua manifestum est, debiliores ad sudorem et alias excretiones esse valde proclives. Interdum vero inde excretiones *supprimuntur* c).

Praeter haec *immobilitas* aut *torpor* vasorum, eorundem paralytin comitari debet (pag. 5. 10.).

Denique, paralytis vasorum resorbentium, *languentem* efficiet *resorptionem*. Nam vasa ista, paralytica facta, *vel* collabuntur, *vel* ampliantur praeter morem. Forteque vis ipsa vitalis, quam nacta sunt, liquidorum resorptioni inferuit. Quam igitur, oborta paralyti, elanguescere oportet.

Supereff, ut per exempla ostendam, paralytin vasorum in non paucis morbis occurrere. Patebit id e signis (pag. 11. 12. 13.) ad varios morbos ita applicatis, ut constet probabilem eorum causam vix ullam aliam, quam paralytin vasorum, assignari posse.

In apoplexia, in mortem tendente, paralytin demum vasorum oboriri, manifestum est. Nonne vero, quodammodo saltem, inde intelli-

B 2

gitur,

c) de SAVVAGES *Nosol. meth.* Tom. II. p. 525. edit. nov.

gitur, quare, in apoplecticis interdum, frigidus omnino sanguis e vena secta profuierit *d)*? Nonne putridae nonnumquam febres, cum viribus circulationis adeo infensae sint, ob illatam minimis vasis paralytin, liquida excreta, sanguinem urinamve, frigida reddunt? Nonne frigidus aër, e pulmonibus redditus, quandoque paralytin vasorum innuit?

Nec deesse paralytin vasorum, in quibusdam saltem paralytis speciebus, suadent: frigus, pallor, pulsus deficiens, tumor, aridura. Igitur etiam tabes, hydrops, icterus, in quos scilicet morbos paralytes nonnumquam transeunt, paralyti vasorum debentur *e)*. Merito ideo quasdam hydropis species a paralyti vasorum repetit *VOGELF)*. Et in vniuersum non pauci morbi, qui debilitati vasorum partiumque tribui solent, si non a paralyti, certe a torpore vasorum proficiscuntur, cachexiae ac phthisis nervosae exemplo. Siccine febribus nervosis et peripneumoniae nothae maior lux affunditur? Oppletio porro pectoris in his, quos catarrhus praefocans corripuit, a paralyti vasorum oritur. Eandem in gangraena et sphacelo obtinere, natura harum affectionum ostendit. Et paralytin vasorum iridis comitari amaurosin, immobilitas pupillae suadet *g)*. Intelligitur quoque, turbidum illum ipsius iridis et pupillae, & quasi totius humoris aquei, habitum, qui in morti propinquus conspicitur *h)*, propter paralytin vasorum eboriri. Anne igitur cataractae ab eadem causa nasci possunt?

Syncope, cordis esse affectionem, nemo certe, qui causas eius novit ac perpendit, negabit. Igitur in ea pulsum defectus, insensibilitas, immobilitas, frigus et pallor extremorum, sudor largus, paralytin vasorum indicant.

Si denique metus phaenomena accuratius perpenduntur: eo praesente paralytin vasorum factam esse, vix dubitabis. Nam largae, quas metus producit, evacuationes, paralytin potius quam spasimum, adesse declarant.

d) MORGAGNI *Epist. anat.* XLIX. n. 26.

e) HOFFMANN M. R. S. Tom. IV. P. 4. pag. 37. *Med. conf.* P. I. pag. 38.

f) *Prael. acad. de cogn. et cur. praecip. corp. hum. affect.* pag. 555. 556.

g) cf. V. HALLER *Elem. Physiol. corp. hum.* Tom. V. pag. 376. 378. 379.

h) STAHL *Diss. de facie morb. indic.* Hal. 1700. pag. 13.

A V C T O R I

S.

P R A E S E S.

Vtilissimum id esse existimo argumentum, *aestumatissime* HEINTZE, quod, proprio TVO Marte explicatum, publice ad disputandum, me quidem praeside, proponere constituisti. Licet enim hunc de paralyfi vasorum locum perpauci admodum medici attingere soleant: eo tamen, si quid ego iudicare valeo, neque in contemplandis, neque in curandis morbis, facile carere possumus. Ecquis enim, ut id exemplum TVIS adiciam, scorbuti rationem, omisso torpore neglectaque paralyfi vasorum, facile comprehendet? Ecquis, sine ea, medendi methodum refractariamve quorundam morborum, qui a laxitate solidorum provenire dicuntur, indolem recte intelliget? Igitur de hoc acquisitae TVAE doctrinae specimine ex animo TIBI gratulor, nullusque dubito fore, ut maturiora adhuc, finito demum, cuius maximam partem complevisti, curriculo academico, edas. Quam quidem spem excitant, quae semper in TE esse intellexi: ingenii perspicacia, ardor discendi, diligentia improbusque labor, morum denique probitas vitaeque a seculi vitis pura. Fruere diu his virtutibus, *aestumatissime* HEINTZE, et vale. Dab. in Reg. Frider. die xxvi. Octobr. c1o cclxxiii.

B 3

VIRO

V I R O
 CLARISSIMO EXIMIEQUE DOCTO
 FRIDERICO CAROLO HEINTZE
 AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.


CHRISTOPHORVS KNAPE,
 WOLLINO VCARO-MARCHICVS.

Inimi sane! spretique illius generis hominibus, qui fallaciae veneno inquinati, omnia virtutis amicitiaeque officia tranquillo quasi animo negligunt; non facile tantum, sed iure meritoque adnumerandus essem: si optimam iam mihi datam occasionem, publice TIBI meam erga TE existimationem, sincerissimamque animi mei affectionem testificandi, frigide indifferenterque ferrem, illamque, quod magis, sine erubescencia praetermitterem. Dissidentis illam, quam beneuole iam mihi dedisti prouinciam, tali, crede mihi, propenso laetique animo accepi, quali nec vnquam me eiusmodi munus accepisse recorder. Toties enim, quoties mihi honos contigit, vna TECVM sancta Apollinis subtellica occupare, sanctioraque tenentes coniunctis viribus impugnare; non ingeniosas tantummodo machinationes TVAS, sed solidissima quoque, quae proposuisti argumenta, succissimam oris facundiam, et breuibus vt dicam, disputandi dexteritatem valdopere miratus sum: ita vt certo iam certius habeam fore, vt ea qua soles soliditate, non TVAM tantummodo, proprio Marte elaboratam defendas dissertationem, victoriaeque palmam summo cum honore depones; sed vt haec quoque TECVM disceptatio vtilissima suauissimaque euadat. Quam bene de eo conuictus sis quod Romani haud errauerint, si honoris templum ita construerent, vt in hoc non nisi per virtutis aedem aditus pateret: per totam academicam TVAM vitam satis superque demonstrasti. Nunc vero virtutis splendore solidaque doctrina ornatus, ad honoris templum laudabiliter tendis, moxque tanquam atriam illius inibis: quem felicem indefessae diligentiae TVAE progressum, sincerissimo totoque TIBI ex animo gratulor. Summum quod vnanimiter veneramus Numen, breui TE, sic vt meritis, ad maiores honorum gradus euehat, omnibusque TVIS susceptis benignissime annuat. Nil iam restat, nisi me amicitiae TVAE ulterius commendem, meque mox absentem, non omni memoria indignum iudices, enixe rogem. Sic tandem sub ardentissimo pro perennitate salutis TVAE voto, literis meis impono finem. Vale iteramque vale. Halae ad Salam. D. XXVI. Octobris MDCCCLXIII.

ZE

no in-
; non
ibi da-
amque
quod
le iam
quali
s mihi
ue te-
ationes
bris fa-
s sum;
m tan-
ne pal-
eptatio
omani
er vir-
ue de-
onoris
elicem
o gra-
mere-
iffime
meque
andem
finem.





Halle, Diss., 1773-74
X 230 9444





DISSERTATIO ACADEMICA
DE
VASORVM PARALYSI.

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO
D. IOAN. CHRISTLIEB KEMME

MEDICIN. PROF. PVBL. ORDIN. ET ACAD. IMPER.
NAT. CVR. SODALI

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE
SVMMA PIETATE AETERNVM DEVENERANDO
DIE . OCTOBR. MDCCLXXIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
FRIDERICVS CAROLVS HEINTZE
HALENSIS.

HALAE SALICAE
AERE HENDELIANO.

Stu: XXV / 7432
Kemme

Dr. Samuel Christianus
Tubingae 1808

Universitäts-
bibliothek
Halle

Farbkarte #13

B.I.G.